

1605 bus comitiis trecentis ab hinc annis decreto vetitum, ne Reipublicæ injussu ecclesiæ, xenodochia Venetiis instituerentur, neve novorum religiosorum coetus ac sodalitia inducerentur: una cum Republica in gravissimis criminibus quocumque genus hominum judicandi morem exortum, summorum Pontificum diplomaticis ac privilegiis confirmatum: itaque Paulum, ut acquiescat, rogare, neve gravissimis turbulentissimisque temporibus, quibus barbarorum arma in foribus Italæ perstreperebant, sibi obsequentissimos filios turbare vellet: enim vero nullis neque precibus neque rationibus aut demoveri, aut flecti Paulus poterat.

Jam quatuor ad eum oratores lecti Romam pervenerant, atque perhonorifica legatione in Apostolicam Sedem cultum, in Pontificem observantiam patefecerant. Franciscus Contarenus in Regum aula, in qua Veneti oratores excipi solent, gravem luculentamque orationem habuerat, qua conciliare sibi Pontificis animum quacumque ratione nixus, temporum calamitate, communium hostium potentia ob oculos positis, cum veteribus tum recentibus Reipublicæ meritis commemo-ratis, ingentem ad Purpuratos, atque omnes qui frequentissimi ad eum audiendum confluxerant, prudentiæ atque eloquentiæ laudem tulerat. Jam superioribus mensibus Scipio Burghesius, Cardinalis, Pauli nepos; Franciscus ac Joannes Baptista, fratres, in patriciorum cœtum (qui summus honos, Regibusque expetitus est) cooptati fuerant, quod ad promerendum pontificatus studium ac voluntatem egregium videbatur. Attamen ille privato cum oratoribus alloquio, Ecclesiæ jura Reipublicæ mirum in modum commendat: leges abrogari, clericos sacerdotum judicio permitti flagitat. Illi graviter ac pro Reipublicæ dignitate respondent. Denuo petit, ut quam primum in patriam reversi, ejus mentem Senatui exponant; ni satis ei fiat, invitum, quid dignitas Apostolicæ Sedis, quid ecclesiastica libertas exposcat, acturum. Inde adjicit, quod ære alieno, difficillimis temporibus antiquitus contracto, se absolvere nihil erogando Senatus decreverit; id haud parvo sacratorum virorum detrimento futurum: quod mutuis pecuniæ commerciis Ferrariensibus negotiatoribus sit interdictum: quod suis in Adriatico sinu navigatio tuta libera-